

A.

F. A.

# LINEAMENTA SARMATICA,

SUB

PRÆSIDIO

## CONRADI SAMUELIS SCHURTZFLEISCH.

*Publicè afferenda.*

à

### JOHANN. CHRISTOPH. ALBERTI,

*Hab. in Audit. Publ. A. 1670.**d. 1. Octob. hor. antem.*

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Anno c<sup>h</sup>o I<sup>o</sup>c XXCIII. V

A. B.

LINEAMENTA  
SARMATICA

1805  
RESIDIO

CONRAD SAMUELS  
SCHURTSLEISCH

Public. Offend.

JOHANN CHRISTOPH ALBERTI

Hab. in stud. Publ. A. 1770.

4. Octob. 1770.

WITTENBERG.

Typograph. Christian Schröder'sch. Typ.

Anno 1770.



## SCRIPTORES.

**P**ost Pomponium Melam, Plinium, Tacitum, Ptolomæum, Jornandem, gentis hujus sub notione Polonorum, sive Bolanorum meminerunt inprimis Ditmarus Merseburgensis, Henrici II. æqualis, Wippo, Conradi Saliqi Sacellanus, Otto Frisingensis, Gottfridus Viterbiensis, Helmoldus.

2. Primo, quod à C. N. elapsum est, seculo Sarmatæ, & Venedi, ac diu ante Heneti, sexto Slavi Slaviniqve, amplissimo diffusarum à Borysthene ad Vistulam gentium nomine pasfim celebrantur. Inde veluti adolescente medio ævo Polonos appellatos esse constat.

3. Recentiores, qui à sec. XV. & XVI. numerantur, sunt Æneas Sylvius, Johannes Duglossus, Matthias Michovius, Alexander Gvagninus, Martinus Cromerus, quos uno volumine recensuit Johannes Pistorius Nidanus. Præter hos ad origenes eruendas adjumentum afferent Jo. Matthias à Sudetis, & Jodocus Ludovicus Decius.

4. Martini Cromeri epitomen adornarunt Salomon Neugebauer, & Joachimus Pastorius, alter Hermanno Conringio, alter M. Zvv. Boxhornio est impensè laudatus.

5. Ab excessu Sigismundi Augusti non incitè commentatus XII. libris Reinholdus Heidensteinus est, cujus & extant de bello Moscovitico libri VI. in volumine historiae Cromeriana, A. 1589. Coloniae Agrippinae editi, qui in recensione Pistoriana desiderantur.

6. De Henrico Valeſio librum unum compoſuit Andreas Maximilianus Fredro, Capellanus Leopoliensis, qui A. 1660. Gedani excuſus eſt.

7. Rebellionem Ruſſicam complexus eſt Paulus Piaſcicus, ſcriptor domi prudens ac fidus, in exteris incautus negligensq; Cum quo conjungere licet ſuccinctum commentarium A. 1653, Regiomonti evulgatum. Ex utriſque ſua derivaverunt Adolphus Brachelius & noviffimus ſcriptor belli Coſacici Germanicè redditi.

8. Juri ac legibus Polonicis operam impenderunt Herbartus, Theodorus Zayvack, cujus proceſſus, ut dicitur, judiciarius Varſaviae lucem vidit A. 1647. Adjungatur Andreas Lipſki à Lipe, cujus practicae, quae vocantur, obſervationes A. 1648. ed. cauſidicis inſerviunt: ſed ejusdem decas quaestionum publicarum in parte publici juris non planè nullum momentum habet. Conf. Jacobus Priluſius, aliiq;. Ad fori Lithvaniae, quae Poloniae innexa eſt, controverſias nominatur Petrus Roiffius: reliqua, quae ad hujus descriptionem pertinent, abunde ſuppent in Moſcovia Sigismundi ab Herberſtein.

9. Scriptum, cui titulus eſt, publicae innocentiae manifeſtum, in cauſa Lubomiſkiana, & plerisque regni actis perquirendis idoneum, & hodie in ipſa Polonia perrarum eſt, primò in Polonorum vernacula, deinde Latina Lingva compoſitum.

10. Quantum ad civiles regni rationes ferè admirandum ſe praebuit Ulicovius, ſummo B. B. judicio inſignis, & accuratone ſolertiaq;ve nulli poſtferendus. Schedae de morient. Pol. ſervanda, ac ſimiles, ſaepe quidem utiles, at nimis interdum vulgares ſunt, ut facile inter has excellat, quod noviffimè prodiit ſub nomine Cenſurae Candidatorum Poloniae.

I. N. 7.

S. I.

**P**rinicipio Polonia Duces habuit. A Ducibus inde Reges elegit. Regum circumscripta Potestas. Optimum libertas magna, licentia maxima est.

I I.

Regnum hodie, si ullum, legibus adstrictum. Leges, quibus regni innixum fundamentum est, duobus capitibus continentur. Alterum libertas Electionis, alterum Religionis est. Utrumque codex sanctionum Polonicarum suggerit. Vim, nervum, robur à Comitibus Varaviensibus (a) arcesso. His stabit regnum, si observentur. Ruet, (ne vero ruat) si negligantur.

(a) A. 1573. Huc spectant constitutiones publicæ, diplomata regia, quibus hæc libertas repetitis vicibus firmatur. Memorandi hic Reges, Henricus, Stephanus, Sigism. III. Vladislaus IV. & qui nuper regno se abdicavit, Job. Casimirus. Sed imprimis memoranda hic fuerat sanctio Jagellonica.

III.

Primus Regum memoratur Boleslaus Chrobry. Sed verò audacius, quam verius. Quod velim æquo animo accipiant Crantzius, Johan. Cluverus, Johannes Latus, Georgius Hornius, Fr. Sansovinus, Arthurus Duck, Anthonius Albizius, Christianus Matthiæ. Sed neque hi soli. Restant plures: Johannes Sleidanus, scriptor alioqui gravis & probus, Lucas de Linda, Joachimus Pastorius, Henricus Bangertus, & quem hic sequitur, Gvaginus, Auctor novissimus Polonici status, innumeri demum alii. Unum id impensè hic miror,

cur Polonici scriptores, iiqve non vulgares, tantum sibi indul-  
geant, ut patrocinentur errori. Quum non plane nullum  
hic suppetat argumentum, fuisse tempus, quo Polonia co-  
lere Imperatorem, colere Imperium debuerit. \* Quod ta-  
men ægrè faciunt Poloni, jam dissimulantes, quæ scribenda  
erant, jam scribentes, quæ tacere præstitisset. Notatus hic  
multis nævus est. Ex omnibus seligamus. (b) Conringium,  
testem parum laudandi moris.

\* *Chron. Pegaviense ad A. 1135. Otto Frising. Chron. II.  
cap. 28. VII. cap. 19. Sanblasianus app. cap. 7.*

(b) *Cap. 18. de F. I. G.*

IV.

Qui edisserunt hoc loco familiarum vicissitudines,  
non impingunt semel. Scriptor Novitius *des Polnisch-  
Königs Stamms* / XII. recenset interregna. Sed abhorret  
is loqvendi modus ab accuratione civili. Nec pensi is habet  
distingvere Ducum tempora à Regum. Utinam vero præ-  
ter hunc lapsum nullus superesset alius. Sed mendum auge-  
tur mendo. Inter exempla sunt, qui in tradendis Poloniae  
dynastiis operam ponunt suam. Alii sex: alii plures, multi  
pauciores numerant. Joh. Buno (c) Dynastiam inserit Ze-  
chidarum. Verum hæc ad Bojohemos pertinet, non ad  
Sarmatas. Nisi tamen Cracidarum dictam cupit, à Craco  
Auctore appellatam. Qui rem in compendium redigunt  
1. recitant Dynastiam Lechi, unde surrexit familia Lechida-  
rum. 2. (d) Craci. 3. Przemislai. 4. Lesci. Hinc pro-  
genies Lescidarum. 5. Piasci, Civis Crusvizensis, filii Gos-  
sifconis, ut produnt Sarmatici annales. Ab eo prosapia Pia-  
steorum, seu Piasidarum, (e) quæ nondum desit. Reli-  
quias Silesia habet. 6. Jagellonis, qui Jagellonidum Con-  
ditor. Hoc ad regni clavum subducto, Piasci, qui Silesiam  
colebant, Principes, sive odio, sive ultione excitati se suosq;  
regno

regno Bohemico illigare coeperunt. Sed manifesta hæc omnia. Videamus jam, quid Sarmatiæ expediat.

(c) *Sec. IX. Hist. univ.*

(d) *Unum hic notandum, omitti dōdendę xas, seu Palatinos, vulgo Vairvodas, qui binis vicibus interserendi (1) Post Lechum (2.) Post Cracum. Præter hoc addo, verum cumq; indubiatum historia Pol. characterem incipere cum Piasto. Anteriores multa adnla comitari. Ne μωδικά dicam. Proinde hic, si usquam, judicio opus est.*

(e) *Vid. de his Aut. Cens. Cand. Polon. Conf. alij, qui recte memorant, eos primum veritatis divinioris lumen Sarmatiæ intulisse.*

### XV.

Regni Caput (inde enim auspicari libet) Cracovia est. Civitas vasta magis, quam valida. (f) Perculit hujus rei cogitatio multorum animos Regum. Præsertim Sigismundi Augusti, (g) ut qui pensaret, quanti interesset, Cracoviam muniri. Laudabilis hæc sollicitudo, sed Ordinibus odiosa. Nempe existimaverant hi, munita Cracovia, nova sibi instare fata, libertatem in discrimine fore, regem ad regiam potestatem grassaturum. Hinc responsum tulit, Polonos Virtutem lacertis ostendere, (b) Muris, arcibus, castris non delectari. Verum latebat merus affectandæ dominationis. Regem prætextu securitatis moliri Monarchiam, una omnium suspicio fuit. Prudentiam interpretabantur Poloni. Sunt, qui admixtum quid imprudentiæ colligant. Disceperet, decidat, qui velit, velit, qui potest. Ego dixisse fati habeo, publicæ interesse rei, ut privatæ suspiciones publicæ utilitati remittantur. Hoc magis, quod alia Polonis in promptu sint servandæ libertatis instrumenta. Sed age ostendam, quid hinc emergere damni, quantum colligari Christianis periculum possit. Fingam irritari Turcas, colligere exercitum. Uno impetu effundi in Sarmaticos campos

campos. Omnia præda hostis erunt, priusquam iusta acie cum hoste decernatur. Quid si Fortuna belli, ut subinde mutabilis est, refragaretur? Sane conclamatum foret, cum neque præsidium victis, neque asyllum subditis superesset. Quos tamen habere omnes æquum est, quod fugiant ad salutem, quod fortunas, & quicquid earum est, perferant. (v) Atqui id iam liquet satis. Et nisi liquet, testari Varadinum potest, quantum in arcibus & castellis situm sit momenti. Quippe comperit, amisso Varadino, periclitari Ungariam iuxta & Transylvaniam coepisse. Cosacos Osmanidarum iugo se submisisse. Tantæ utilitatis est, extruere arces & tueri extructas.

(f) *Arx civitati imposita, ubi veterum Regnum conspicua monumenta.*

(g) *Vid. Jos. Maria Maraviglia Hermet. Cælest. p. 94.*

(h) *Imitantur Poloni Spartanos. Sed desit seculum illud Spartanum. Desierunt Spartanorum mores.*

(i) *Pensant tamen hanc arcium propugnaculorumque, iacturam varij montes, quibus includitur, diversa flumina, quibus interluitur Polonia. Sed Natura hic subsidium debetur ab arte.*

Quamquam ergo magni æstimem Sarmatarum Virtutem, nec ignorem insuper, Tataris Turcisq; admodum formidabilem esse hanc gentem, tamen necessitas temporum exigit, & ipsorum Polonorum salus, ut communiant civitates, excitent arces, omnia denique comparent ad publicam securitatem.

## VII.

Cum de munimentis, deque munimentorum necessitate expono, subit recordari Kamienici. Hoc sufficiens Tatarorum incursionibus suffecturum ajunt. Sed sufficiat Tatarorum. Fortè tamen pertinaciæ Turcarum non sufficiet. Quin fortè fama major vero, quæ ad nos de operibus



operibus munitionibusque Kamienici perlata est. Tum vero sentiunt non pauci, Tataros jamdudum Kamienicum \* occupaturos fuisse, ni impetum cohibuisset prudentia Turcarum. Ut quorum quasi beneficiarii Tataři sint, intenti ad eorum nutum, & parati sequi signa, cum velint. Turcis autem hujus consilii non aliud pretium est, quam formido. Cohorrescunt enim, cum inaudiunt de auxiliis Germanorum, & qui Septentrionem colunt. Hos vero judicant, nolle destituere Polonos, dum unus apud omnes metus est crescentis potentiae Turcarum, qui vel invitis extorquere arma potest. Et verò communis Christiani orbis causa hæc est, quæ copulare disidentes debet, ut obextandem ponatur posteris Osmani.

\* Simon Starovolscius in Polon. p. 114. refert, oppidum esse & natura loci manuq; permunitum, nec refragor, si & sentiat pro conditione Podolia, & loquatur. Subscribit Starovolscio Alexander Guagvinus in descript. Pol. & non modò arcem ruuro propugnaculisq; firmatam, sed civitatem etiam ob rupem accessu arduam ferme inexpugnabilem esse scribit. Quicquid ejus sit, parum lætus nuper allatus nuncius est, venisse in Turcarum Tatarorumq; quos antebac strenuè repulerat, potestatem: Quæ ut quamprimum recuperetur, asseraturq; pristino domino, & Germania, & universi septentrionis interest.

#### VIII.

Ut meritò jam invehamur in eos, qui solius vastus causa Turcarum se applicant partibus. Indignum sanè Christianis, stare adversus Christianos, deserere suos, assistere impiæ genti. Et verò Deus, Pietas, amor, quæ Christianos copulant cum Christianis, iniquissimo exemplo adversantur. Relinquatur impia adeo colluvies sibi. Retineat sordes suas. Christiani jungantur Christianis. Foedera, societas, amicitia, sancta nomina sunt. His dignari Turcas probrosum orbi Christiano. Impium quoque accedere barbaris, adversari suis. Prætextus commerciorum

rum pulchrè quæritur, solidè non stabilitur. Certè nemo probaverit hunc morem, quum Christianus Turcæ expectat societatem, ut noceat Christiano. (k) Speciosa quorundam commenta multum ostentationis, parum pietatis, minimum laudis habent.

(k) *Rationem reddit Petrus Santerna Lusitanus, quod sine inimici imperij, & Christiani nominis, quod Christianos persequantur & sedibus expellant, tr. de affect. Ed. Lugd.*

IX.

Revertamur ad institutum. Potentiâ Polonorum terrestribus, opes in agro, vis belli in equitatu ferme omnis est. Maritima potentia Naturæ magis donum, quam fortunæ & artis. Hac carent Poloni, pollent Hispanus & Veneti, Vesteres Osmannici imperii hostes. Cæterùm divitiarum agrorum nec nullæ, nec nimix. Commerciis demùm regna efflorescunt. Sed genius Polonicæ gentis vix capit. Haud exiguo, ut creditur, regni damno. Præter equitatum, qui validissimus est, (l) cura peditatus esse (m) debet. Uthabeat, quos opponat Prætorianis. Spahis enim haud dubiè est resistendo.

(l) *Rex 140000. (alij 200000. recitant) Nobilium educere in aciem potest, si instat periculum, si imminet hostis. Expeditio hæc apud ipsos Postpolite Russenæ audit. In proxima expeditione ultra 100000. fuisse memorant.*

(m) *Jam olim Tacitus Sarmatis objicit ignavianè ad pedestres pugnas. Hist. I. Ego monere malim, quam tale quid objicere. Sed Sarmatæ fortasse ipsi dubiam objiciunt fidem.*

X.

Æstimavimus satis excitatam Polonorum indolem, animum bellicarum rerum capacissimum. Lustrabimus popularium erga populares jam fidem. Pro patria oppetere mortem, ducunt laudi. Pro salute regis capere arma, corpus objicere periculis, omnia deniqve experiri parati. Transtugam fieri, summum ibi scelus. Comitari regem in

in quacunqve fortuna, decus interpretantur. Multas gentes ferro in reges saviſſe compertum. Poloni ſervatorum regem gloriam tulerunt. Diſſentire quidem & obniti, indignariqve inſuper ſape, & edere irati animi ſigna, non raram. Sed manus regum imbuere ſanguine, & inſortes depoſcere ad necem, generoſo haectenus populo piaculum fuit. Magna hæc fides, gloria autem fide major, pietas longè maxima. Paucos excipimus, quibus ſenſum obſequii ſive innata ferocia, ſeu pertinacia excuſit. Hos rebus ſtudiſſe novis, receſſiſſe à fide erga Reges, exuiſſe reverentiam, ſicut notum, ita univerſæ genti nequicquam imputandum.

### XI.

Percipaciam gentis colliget, qui ut cauti ſint, & regum ſerutentur deſtinata ac mores, apud animum expendit. Piaſtidas ad Caſimirum uſqve M. nulla religione aſtrinxerunt, ſucceſſores vero hoc obligare vinculo conſultum putarunt. Prorſus ut appareret, libertatis retinendæ tenaciſſimos eſſe. Sic regum coerciti ſpiritus, ſic evitatum ſervitutis jugum, ſic privilegia retenta atqve immunitates vindicatæ omnes. (u)

(n) Non multo ſecus, atq; Teutones, qvi Caroli V. antecelſores laxius, Carolum V. arctius ex Imperti utilitate legibus aſtrinxerunt. Vide Sleid. & ex eo Stirn. Nomoth. t. 4. S. 6.

### XII.

Montii de Caſimiro M. Princepsis animi plenus & rara exemplum benignitatis. Hic Poloniam lateritiam accepit, non multo poſt marmoream fecit. Beneficiis Ordines, plebem, magnos, medios, minimos, omnes ſibi devinxit. Ruſſiam in Provinciæ formam redegit. Leges, cultum, decus in Poloniam intulit. (o)

(o) Vid. Aut. Anonym. in Piaſt. Joachim. Paſtorius in Caſimiro Magno. In eo deſerunt regnare Piaſtida.

Auspicata hæc regno omina. Auspicatiora ferme in Vladislao Jagellone. Qvi Lithvaniam Poloniae innoxite, ut hodie utraqve eodem civili vinculo contineatur, eodem jure regatur, eodem demum obsequio eidem Principi pareat.

Haud secius caput extulit in Casimiro III. qvi Prussiae addidit. (p) Prussiae exemplum secuta Livonia est. Hanc Poloniae adiecit (q) Sigismundus Augustus, augendis regni finibus occupatissimus Princeps. Caterum habeo, quod desiderem cum prudentibus in Sigismundo III. qvi Cracoviam, inclutam Veteri Regum sede civitatem, Varavia mutavit. Omine parum prospero, consilio minus utili, eventu certe non salutari. Adeo verum est, mutationes sedium auspicia nunciare nec prospera semper mutantibus, nec lata iis, qvi mutantium imperia coluat.

(p) Notat hic asperè Albertum Teutonici Ordinis Magistrum Besold. I. P. Part. 3. c. 4. p. 235. Excusant moderatores. Notas vicissitudines peculiari sermo argumento. Borussia Ducalis soluta jam beneficiario vinculo est, quod constat ex transactione Veldensii. Cessit enim El. Brand. ut supremo Domino, soluta fiduciario nexu. Conf. dissertatio nostra de rebus Prussor. ad S. 28.

(q) Livonia in sanctionibus novissimis jam dissepitur in Svedicam & Polonicam. De hac quid Moschi respectu, publice cautum nuper sit, apparet ex sanct. Pac. Oliv. c. 5. §. 1. De Livonia aliogvi in Cis & Trans-Dunanam divisione Geographi plenius agunt.

In Stephanum Bathorium parum æquos deprehendo Sarmatas. Periculum metuerunt libertatis, fortè quod regis potius, quàm regni haberet rationem. Suspectus enim insidiari juribus, insidiari libertati. Regis quoque, id est, sui poti-

potius, quam regni æstimare utilitatem videbatur. Hinc indignantium voces querelæ mutati in publicum amoris. Dignari Ordines, proscribere Zhorovios, denunciare pœnam inter Præsules summo, abrogare Proceribus officia, disponere de Provinciis beneficiariis liberè, intolerandum genti. Nec de Vladislao IV. una omnium opinio fuit. Multi eum niti solito altius, & plus moliri, quam par esset, & regiam completi animo vix, conjecerunt. Nimirum prona Martii regibus via est ad dominatum.

### XVI.

Hactenus de Regibus monitum. Summa eo spectat, ut materiam diffidentiae, æmulationis, litium amoliamur. Captare arbitrium, omnia moderari pro nutu, liberè, ferre sine Comitibus leges, statuere quid sua sponte, decernere sine consilio consensuque procerum, Senatus, ac Nunciorum terminalunt, in Polonia inauditum, Regem habere Ordines deferunt, quam regnatricem domum. Regnum electione nec tamen plane nullam successionis habent rationem. (\*) Præterire hæredes possunt, haud tamen prætereunt facile. Nisi cogat necessitas, nisi flagitet regni servandæ cura, nisi causæ admoneant gravissimæ & sine dispendio salutis publicæ non negligendæ. (r) Scriptor quidam non inscitus disertè tradit, Senatorum iudicio consentaneum esse, Republicam se potius habere, quam regnum. Caterum scriptoris illius majus in Ordines studium, quam in Resplendore & caliginem inducere Monarchiæ pleniori. Optas duret, ut concordia utrisque constet & firma tranquilliant suos optimates, hi colant suos Reges, utriusque student publicæ utilitati. Si meminerint Reges, regnum se habere astrictum, Senatum esse liberiolem, si Ordines foveant Camillos, si expellant Marios, si Sullas detestentur.

(r) *Qui Scholis operantur, regna electitio (suo) s'ua ap-  
pellant.*

(s) *Aut moment. Polon. ser. vand. rat.*

XVII.

Novum invitat de Comitibus argumentum. Jus in-  
dicendi penes Regem, statuendi potestas Regi cum Sena-  
toribus & equestri Ordine communis. Utri horum pre-  
polleant, haut quærerè opus. Sciunt, agnoscunt omnes.  
Prudentibus sane hinc indicium, Poloniae regimen potius  
Reip. convenire, quam regno. (i) Ordines aut sacri, aut  
profani. Utrique regni Senatores. Post eos Delegati No-  
bilitatis sedendi jus nacti. (u) Sententiæ tamen dicendæ  
præcipuum apud hos pondus. Si quid proponi decernive  
oporteat, referunt ad Senatum. Leges verò à Senatu  
accipiunt nullas. Potius Senatus ad eos, quam ipsi ad  
Senatum se accommodant. Tanta nobilitatis auctoritas  
est. Senatus exhibet Optimates, Nobilitas Populum, Dele-  
gati Nobilitatis Tribunos. Cæterum Comitia Polonorum  
ut plurimum sunt paludata. Nempe stant sub dio, stan-  
tes stipant militares turmæ. Hæc eum aguntur, cocunt  
deliberaturi, post deliberationem definiunt, si tamen de-  
finiunt semper. Atqui hic dubitaverim cum Senatorum,  
tum Nobilitatis ingenuum morem, quod reges mereri re-  
gnum, non mercari velint. Qui hic dubitat, excutiat anna-  
les, indager acta publica, vestiget experientiam, inveniet, quæ  
indicamus.

(t) *Cass. Eus de Reg. Polon. Tb. Pol. ap. 15. De Cætera per  
occasionem Regni, mentio succurrit Abbatis Casinensis Vincentij  
Sgvalai, qui pulcherrime Reipubl. quatenus optimatum jure res-  
genda, rationes, exempla, exemplorum nexus ostendit. Addi  
etiam forte possunt, quæ de variationibus Reipab. cum antiqua cum  
bodierna elegantè ordinavit judicavitq; Pompejus Caius in Pa-  
ralel. Polit.*

(u) *Al.*

(u) *Alibus cap. 33. Lind. descript. Regn. Pol. Popping. in O.  
I. Huc Dav. Frolich, in Kiator. lib. 3. p. 47. 48.*

XVIII. Nobilitas Poloniæ seminarium pariter & presidium est, Nobilium eadem dignatio, par Jus, æqualis libertas celebratur. (x) Ab his multi Principum surrexerunt. His necessitudine immisceri, Principibus sæpè non indecorum neque inglorium est visum.

(x) *Vid. Staravolscius. Aut. Cens. Cand. Pol. Autor Gallicus quidam, cujus nomen lates sub literis D. T. V. T. de l' Estat du Roy de Pologne. Sansovinus del governo del regno di Polonia.*

XIX. Omnia, quæ sentimus, dicere non expedit. Alia aut servanda domi, aut relinquenda expertis rerum. Tradamus nihilominus aliquid de hodierno Rege. Is à (y) Wisniowicia dux, à Sanguine Korybutius, eoq; Jagellonidis vinculo agnationis annexus, (z) Ultima origo ex Lithuanis. Prænomen Michaelis: In prænomine augurium diadematis ferè Michaelis imponendi fuit. Auspicia rerum gerendarum prospera, ingenium perspicacissimum, animus ingens multisq; artibus imbutus, experientia singularis splendescit. Nihil in eo desiderant boni, omnes sperant bene. Hinc studio Nobilitatis proventus, hinc ad regni Clavum subductus. Attrita quidem paternæ opes sunt Cosacico bello. Animus tamen semper idem viguit, infractus nunquam. Omen hoc olim accipiebamus altioris fortunæ. Exitus non defuit omni.

(y) *Alij Wisniewicz, alij Wisniowez, multi Wischniowez, nonnulli Wisniowicz scribunt. Is Numa potius, quàm Romuli ingenium habet.*

(z) *Demetrius Korybutus frater Jagellonis. Familia utriusq; Principalis, ultima origo traditur ex Italia à Columnis. Columnas arcessunt à Germanis. Ex Stricovio observant, Wesniowiciorum & Sbarasciorum Antecessorem appellatum. Huc referunt Diploma Fidelitatis A. 1386. concinnatum. Et Staravolscius annotat monumenta aliquot Wisniowiciorum Ducum.*

Summa hujus Regis cura, ut tempestatem ex Ukraina impendentem avertat. Et profecto avertet, si de consilio ejus res regatur, \* si reconcilientur rebelles, si cum regno redeant in gratiam Cosaci, si Ordines denique, cum opus fuerit, non destituant optimum Regem. Impia seditionis Russorum memoria nondum exolevit. Vitari potuisset malum, si Russici ritus relicta libertas fuisset, si, quod ex promisso debitum erat, regni curia dependisset, si major erga eos praefectorum regionum moderatio apparuisset, si avaritia Judaica nihil in ipsos licuisset, si denique in nulla libertatis parte damnum ad illos redundasset. Mittimus alia quærimoniæ capita. Tantummodo hic monemus vitandum esse Russicum istum Sullam. Hunc vitare est præsens periculum vitare & fraudem. Quid mirum? Turbidi ingenii homo est, & profunda simulationis. Fidei quoque anceps & mutabilis in momenta. Tum pronittendo paratior, quam servando. Omnia illi ludus. Etiam religio factorum. Hoc observandum regi, observandum regno est. Ad ultimum, elegans in Viosnievicio Polonici exemplum moris. Scilicet Reginas à Germanis sumere malunt, quam Reges. Suspecta adeo Germanici nominis magnitudo. A sexu sequiori non perinde metuunt. Hunc regi potius, quam regere debere ajunt. Jam plures ex Austria reginas acciverunt. Novissimè documento Viesnievicius est. Cujus & regnum fortunet Deus & torum. Illi felicitatem, huic fecunditatem largiatur.

\* Alius hoc A. 1672. eventus, atq. superiori consilium fuit. Facta in Polonia pax est, sed magna Polonorum jactura: Podolia nunc gemit sub Turcarum jugo.

## XXI.

Regibus olim concessa abdicandi libertas. Multa hinc in Remp. mala, plurimæ calamitates. Jam melius provi-



provisum regno, libertati isti obex positus. Argumento Vios-  
nievicius est, regno se, donec vivit, ex lege non abdicaturus. Id  
religiosè promisit : religiosè implebit.

XXII.

Sequitur, ut tradamus, quid Polonia reponere in se, quid  
tribuere exterorum auxiliis debeat. Non negamus, nimiam fi-  
duciam sui, sæpe initium miseræ esse. Nolumus diffiteri tamen,  
Poloniæ domi potius vires quærendas, quam foris. Auxilia aut  
sæpe sunt sera, aut non suffectura. Ac id quidem facere Polonis  
in expedito est. Gens numerosa, & idonea in super bello, & tan-  
to aliquando magis resurrectura, quanto major ruina fuit. Pro-  
bant id superiora bella, probant exempla bellorum. Assentien-  
tur Polonici scriptores. Idemq; nuper Batavis suggestit qui-  
dam in opusculo, de eo, quod interest Bataviæ.

XXIII.

Piget hic referre, quod prodidit Thomas Campanella. Is  
securitatem Sarmatis certissimam pollicetur, si Poloniæ cum  
Moscovia conjungendæ rationes ineantur. Sed vanum consili-  
um, vanius promissum. Diversa Moschorum & Sarmatarum  
ingenia, adversi mores. Dispar etiam regnandi jus, dispar mo-  
dus. Imperium Czaris successioni innixum, nec circumscriptæ  
potestatis. Regnum Polonorum conferendum electione, nec ad-  
ministrandum pro nutu. Servile obsequium Moschorum, liber-  
rimum Polonorum est. Ne meminerim, quam pertinaciter sua  
colant sacra Moschi. Sua quoque Poloni. Nunquam adeo conci-  
liandi, nunquam redigendi in unum corpus. Pontifex, Pontificis  
ceremoniæ illis detestabiles. His contra Græcorum. Hos ergo  
conjungere pugnantes, componere dissidentes, jam diu despera-  
vit Palatinus Czerniechoviensis. Quod indicio est, promississe  
Campanellam, quod nulla ratio futurum promittit. Ostentui  
ergo hic Monachus est. Magis Monachi simplicitas.

XXIV.

Cæterum optandum est Polonis, recuperent Smolenskum,  
quo nuper exuti sunt à Moscho. Idonea hæc regno olim Civitas,

(aa) unde inferre periculum hosti & propellere licebat. Jam amissa desideratur. Nec verò sola. Præter hanc Provincia trans Borysthenem, cum situs, tum securitatis ratione utilissima Polonis. Repetere arduum, \* relinquere periculofum. Hæ diminutiones, belli civilis fructus. Non exiguus hinc metus, nec minus discrimen. Mature a deo providendum genti, ne gentis potentia iustolatius serpat.

(aa) *Laudant hic Poloni Gedani sui vires & fidem. Laudavit Pastorius in Casimiro III. Laudavit proxime Andreas Olszowski, Poloniarum Procancellarius, & Regis sui Legatus.*

*\* Tum propter belli ex bello rursus metuendi discrimen, tum propter partiones novissimas Moscho-Polonicas.*

XXV.

Refert quoque ad institutum nosse, Poloniae sæpe plus nocuisse civilia, quam externa bella. Tutus Rex, tutum Regnum, si discordiæ fuerint sopitæ, si compressæ factiones, si extinctæ rebelliones. Militem excire promptum, eundemque Scythicæ gentis terrorem. Atqui vero jam tempus est, mea Polonia, ut excias tuendo Borystheni. Justus tibi, barbaris impius fœdusque bellandi titulus est. Hi pro dominatione, tu pro libertate dimicabis. Aude, vindicæ Ukrainam. Aderit Deus. Aderit fortuna. Cœpta bona bonus exitus sequetur. Verbo, Vinces, Vincendo triumphabis, triumphando gloriam illustrabis. Imo vero illustres. Ut aut desinant te vexare, \* aut subigantur, quum vexant, aut subvertantur, cum subacti resurgunt ad colligendas vires, ad turbandam regni tui quietem.

*\* Inter regni curas præcipua hæc est hodie, i. resarcire fracturam Poloniarum, & videre, quemadmodum Polonia ex tributaria iterum libera fiat.*

XXVI.

Quantum tranquillitatis servandæ pretium sit, exploratum jam habemus. Alia denuo subit sollicitudo. Hæc publicam spectat utilitatem. Cujus compendium cura numi. Præinde cavendum monetæ: puniendi monetæ adulteratores. Providendam quoque, ut cudatur monetæ à probis, & materiæ pretium, pretio materia respondeat. Nec vero indulgendum cuivis Jus monetæ.

In-

Ingens hic abusus, ingens abutentium scelus, unde damnum com-  
mercii certissimum inferunt. Ab his ad Rempublicam, à Republ.  
ad universam humanam societatem serpit. Atque hoc cum tua  
conjunctum salute est, Polonia. (bb) Ruunt indulgentiâ in hoc  
vitium privati, privato quæstui intenti. Prospiciendum adeo, ne  
aut privatis ejusmodi concedatur potestas, aut si concedatur, in  
eos qui adulteraverint, maturè animadvertatur. Constituendum  
ad hoc certum in moneta pretium, constituendi, quos appellant,  
Zygostata. (cc) Sæpe deliberaſti de his navis, tolles tandem & vin-  
dicabis privatos privatorum hominum mores. Judæos tolerare,  
omni licitum jure. Hos vero negotiis imponere, his franos laxa-  
re nimis, & omnium usurpandorum facere copiam, haud consul-  
tum. Turbarunt nuper monetæ rationes in tantum, ut vicinæ di-  
tiones ingemiscant. Hæc causa, cur multi civium facultatibus  
lapsi, cur plurimi mercatores existimationis fecerint jacturam,  
creditoribusq; decoxerint suis. Tuum, inea Polonia, est, his ob-  
viam ire malis, & quod præcipuum gloriæ caput est, cum regno  
ponere calculum, cum calculo conservare regnum.

(bb) Vid. Aut. Cenes. pro redint. Pol. reg.

(cc) Ad hoc vid. D. Zieglerus, vir mihi inter magnos magnus, & ut  
nostri avi decus, ita exemplum futuri. In disp. de Jur. Monet. Saltem adjici-  
mus, auri argentiq; signandi jus apud Veteres sanctum fuisse semper.

## XXVII.

De Monetæ remediis nil reperio, quod exponam ultra. Aut  
si reperio, hujus scripturæ excedit modum. Visum nunc delibe-  
re, quid sit, quo regnum conservetur. Plurimi cœleste arcanum  
allegant & ineluctabilem ordinem fati. Hoc facere, hoc stabilire  
Sarmatiæ libertatem. Reddi adeo hinc rationem posse, cur facies,  
forma regni Polonici sibi conveniat soli. Nulli vero alii. Nil  
enim subesse, nisi occultam numinis vim. Huic standum, huic  
acquiescendum esse. Et mirum certe, inveniri Respublicas satis  
confusas, quæ in ipsa durant confusione. Inveniri imperia, quo-  
rum forma pœne sine forma & præter regulam civilis legis. Ma-  
nere tamen eadem & retinere inter contumaciam ac dissensiones

securitatem antiquam. Nos agnoscimus Deum regnorum statorem. Miracula arcemus. Republicas confusione nutantes haud probamus. Unum alterumve exemplum eas non munit. Quod rarum, raro tutum, raro diuturnum. Facile periturum, quod ægrum. Sic non secus casurum, quod prægravi mole inclinatum. Certa, non ancipitia, Reip. conservandæ consilia habere, non expedit modo, sed etiam necesse est. Turbida ista & fallacia, & nil solidi habentia displicent merito. Si lubrica via sit, si deficiat, ubi pes figatur, promptus sane ad exitium gradus. Nos quid sentiamus, aut dicemus ex suggestu, aut monebimus privatim. Quod enim de colendis placitis majorum, de peculiari temperamento generis, de observandis sanctionibus regni, de fide Senatorum Ordinisq; equestris, de rationibus deniq; militaribus hic recitatur, notum omne est, & solum certè non suffecturum. Alia eruenda, plura expetenda subsidia regni habes, mea Polonia, modo utaris, nec tarda sis ad occasiones, nec ad mutationes proclivis. Mutationibus, si quæ existant, remedia opponas matura. Interregnorum vices longas procul habeas & detesteris. Didicisti interregnorum fata. Nocuerunt regnis aliis, nocebunt tibi, si diuturniora. Advigilasti nuper satis, & cum tot, mirandum, diversa Senatorum Nobilitatisq; studia essent, præcidisti moram electioni, sustulisti interregnum, vitasti discordiam, unde promptum alioquin seditionibus, turbis, bello civili alimentum.

## XXVIII.

Ducimus quoq; instituto convenire, ut Poloniae attingamus leges. (ee) Multis videtur, gentem bello assuetam de legibus parum laborare. Illud de populo Martio verum. Hoc nullatenus concedendum. Eo minus, quod curæ belli non tollat leges; Contra leges armis, arma legibus innitantur. Exemplo Princeps, cui non togæ solum, sed belli etiam artes discendæ. Et vero demus, curâ armorum turbari interdum leges posse, everti tamen posse, confidenter negamus. Manifestum alioqui, & publicis notum argumentis, habere suas Poloniam leges, habere curias, habere tribunalia, Utrisque additam dicundi juris potestatem. Vetustire-  
trò

trò xvi documenta multa. Memorabile saltem hic ad posteros est, juri Teutonico olim in Polonia fuisse locum, fuisse honorem. Illud vulgari nomine Magdeburgicum appellatur. Hujus introducendi Auctor non Casimirus M. ut tradit Joach. Pastorius, à Johanne Casimiro, dum regnaret, a d scribendam Sarmatarum historiam conductus, sed Lesko Niger. Causam exponit Conringius, multus in hoc argumento, nec indiligens diplomatis, quod Pastorium deceperat, Casimiriani censor. Et vix est, ut assentiar Arthurio Duckio Anglo, qui Casimiro accepta refert auspicia primo instituti, deinde abrogati Magdeburgici Juris.

XXIX.

Servet dissertatio formam. Dictum de legibus: insistamus ordini, & referamus de quibusdam. Leges comitetur consuetudo, quam invaluisse accepimus post leges, ordiamur à furto. Furtum pecunia redimitur. Poena si est, certe non est capitalis. Moribus Lithvanicis res furtim ablata ad Dominum non redit. Inventori quoque non cedit. Solum hujus opus, perferre ad judicem; Judex servat sibi. Via ad recuperandum Domino interclusa; remedium vindicandi nullum. (nn) Veniamus ad tutelam. Finitur tutelæ munus, finito quinto decimo anno. Secus, quam apud alias gentes. Alienandi multo serior facultas. Initium quintus & vigesimus annus. Sequitur diversitas diversitatem. Liqvet hæc in multis. Argumenta habemus in prædio dotali, & jure testandi. Ignotum ibi nomen jusjurandum, quod calumniæ appellant justitiæ sacerdotes. Hactenus discrepat à Qviridium jure. Mallent multi, ut conveniret semper, ut discreparet nunquam. (oo) Præsertim si justa subest causa, si religio movet divini juris, si sanctitas jubet innata legis. Aversatur Deus homicidia, homicidiorum impunitatem maximè. Optamus, ut omnes agnoscant, Magni, an mediocres, an minimi, nil refert. Eodem omnes apud Deum censentur jure. Qui regulam omnibus & singulis esse voluit. Non occidit. Homini adeo in hominem nulla potestas necis. Deus vitam dedit. Deus adimere solus potest, solus vult. Teneat ergo sua interfectores poena. Sed quæ respondeat delicto, quæ penset delicti

atrocitatem, & mensuram impleat divinæ legis. Non levis mul-  
 cta, sed supplicium poscitur. Luat sanguine, qui sanguinem pro-  
 fudit. Propterea nemo sibi indulgeat, nemo sua abutatur dignita-  
 te. Homicidium vindicandum morte est. (pp) Hæc sententia sumi-  
 mi iudicis. Hæc norma regnorum erit rerumq; publicarum om-  
 nium. Vos appello, Sarmatici Nobiles. Sarmatiæ monumentum  
 estis. Justitiæ quoq; sitis. Eritis certe. Vestra exempla utilia regno,  
 salutaria sunt vobis. Manus adferre hominem homini, ne sinatis.  
 Sævitia est, non libertas, occidere quæquam sine causa. Etiam  
 nulla libertas, quæ contra leges. Legum vero hic nexus. Constitue-  
 tæ cedunt divinis, divinæ regunt constitutas. Quicquid peccatum  
 in utrasque, peccatur in Deum, in vicarium Dei. Illud impietatis  
 est, hoc improbitatis. Vos, qui animam pro regno habetis, qui cu-  
 ras pro regni gloria suscipitis, temperate gladiis adversus plebejos.  
 Nunquam temperate adversus Hostes. Barbaros istos dico, & ut  
 fama est, jam jam ex Scythia profecturos. Cavete, ne se, ne suos di-  
 tionibus vestris infundant.

(nn) *Ceteroquin de usu juris Ro. in foris Poloniae vid. Duck. l. 2. cap. 11.*

(oo) *Accusat in hoc capite Polonos Spreng. d. l. & discrimen eorum no-  
 tat, quo asserunt homicidium aliud capitale, aliud civile esse.*

(pp) *Vellem hic sanius locutus esset Th. Hobbesius de Civ. cap. 6. p. 109.  
 ubi non parum derogat innato juri, Deo ipsi, hujus auctori.*

XXX.

Tædet hic morari. Res poscit, ut quales olim Sarmatæ fuerint, dispi-  
 ciam. Male apud Tacitum audiunt. Primo ignavia, deinde levior armatu-  
 ra exprobratur: postremo imbellium inuritur nota. (bb) Dubites fortasse,  
 an assentiaris scriptori augustæ historiæ. Celeres subiti gentis impetus, celores  
 animorum motus facile aliud persuadent. Minus in Sarmatas iniqui reum  
 Scythicarum Conditores. Facit nobiscum Pomponius Lætus, vir in eruenda  
 antiquitate sicut diligens, ita acris. Is ex annalibus, quos excusit, optimis  
 tradit, gentem fuisse ferocissimam, & hominum cædibus asævetam. (ii) Alibi  
 recitat obstinationem gentis. Præter hanc pugnandi ardorem. (kk) Pro-  
 mendum hic suffragium Flori. Qui tradit, Sarmatis non æstimari pacem, imo  
 ne intelligi quidem. (ll) Hæc quam conciliare arduum, tam promptum, imo  
 altero dissentire. Sed causa dissentientis justa, ratio dissentiendi sufficiens  
 esse debet.

Spectamus metam. Sed pauca restant, antequam perveniamus. Expe-  
diemus quasi in transcurso quodam. Dignum labore momentum, quod ad  
excutiendum veteris Sarmatiae statum pertinet. Illatum genti bellum à Ro-  
manis. (mm) Penetrarum usque ad regionis fines. Viscera à bello intacta.  
Augusto Danubius belli Sarmatici terminus erat. Feliciores Teutonici Im-  
peratores. Conradus cognomento Saliqyus vectigalem fecit. Henricus II.  
Boleslaum beneficiatio jure sibi obligavit. (nn) Contra hujus rei argumenta  
servamus historico instituto. De cetero Polonicorum dissensus scriptorum  
nil obest causae. Nimis afferunt nova, & solidae antiquitatis nihil.

(hh) Nihil tam ad pedestrem pugnam ignavum esse scribit, quam Sarma-  
tas. Et non tacite innuit, parum ipsis animi esse, ereptis equis, cum tradit,  
adempta eorum pernicitate, velut vinctos caedi. Non multo post levi gladio  
inermes vocat. Hist. 1.

(ii) Ro. Hist. Comp. Ed. A. 1510. in Constant.

(kk) In Valentin.

(ll) Meninit Tacitus Roxolanorum: Hi Willichio Basterna, aliis Russi  
Moschiq; sunt. De quibus vid. Carolus Stephanus Dict. Hist. Geogr. & doctis-  
simus Italus Hirol. Canin. ad 1. H. Tac. c. 79.

(mm) Nil viritatis habent, quae huc affert Hermannus Hermes cap. 4.  
de Imp. Ro. illud multo magis mirandum, quod scripsit, Boleslaum ab Ottone  
2<sup>o</sup>. creatum Regem. Non minus Galli cujusdam erratum est, qui Lecho pri-  
mum tribuit in signe Regium. Nulla causa, nisi accurata negligentia lectionis.  
Ignorantiam enim vix tantis tribuerim Viris.

## XXXII.

Vetera haec sunt. Mittamus. Nec tamen committamus, ut horum me-  
moria exolescat. Nos desinimus ne progrediamur ultra legem. Desinendum  
vero in voto est. Votum praecedat, quicquid amor publici boni expressit.  
Struit saepe fortuna vicissitudines. His amovendis comparare praesidium, fe-  
licis regni est. (ee) Compareris, Sarmatae. Imminent barbari ex diversis lo-  
cis. Hos depellere, aeterna praetium laudis. Dissidere ab se invicem domi, &  
pugnare sententis, hosti expedit, non Vobis. Ante bellum de belli instru-  
mentis cogitandum. Opes, aurum, argentum bellantium robur, bellorum  
nervus. (ff) Illa, cum suppetunt, conservanda, cum desunt, acquirenda.  
Amittere haec, & inania consecrari, est suppeditare materiam crescendi aliis,  
aperire viam ambitioni hostis, emere demum periculum brevi & mox cessa-  
tura voluptate. Vos, Sarmatae, melioris capaces fortunae, meliorem animum  
servate. (gg) Utilitas, gloria ad Vos redundabit. Gnara bellandi Nobilitas  
Vobis

Vobis murus & firmamentum. Legiones validæ, dummodo concordēs, ex  
tiosæ regnō, si discordēs. Prospicite vobis. Impetus Tatarorum metuē-  
dus. His prædandi irritamentum Podolia, quæ Meridiem spectat. Commu-  
nite tandem itinera versus illam terram. Volhyniam & Borysthenem potis-  
simam curæ vestræ partem credite. Quæquam inde jam major impendeat  
metus. Vires, opes, cogitationes omnes vertite in bellum externum. Vitæ  
intestinum. Pugnate pro fide regis, pro salute regni. Obtestatur Vos Chri-  
stianus Orbis, ut hoc tempore audendo paratissimi, faciendo felicissimi, vin-  
cendo admirabiles sitis. Honos Dei est, quem defenditis, libertas vestra,  
quæ propugnatis. Ite ergo ad arma. Numen fortunet armatos, fortunet  
expeditionem. Festinate, quod agitis. Expectat vos victoria, & invitat.

(cc) Indicandum hic esset, utrum Germaniæ finibus metuendum sit à  
Sarmatis. Quod cum negem ex multis causis, alibi persequendum ex dignitate  
argumenti est. Interim vid. aut. Not. & strict. p. 62.

(ff) Tac. Hist. II. Pompejus Caimus paral. Polit. partit. p. 29.

(gg) Multi hic notant Sarmatiæ gentem. Alii nec contumelie abstin-  
ent. Graviter monet Staravolsius. Hauriant Poloni, quod salutare est, à  
Polonico Scriptore. Ceteroquin multa hic lites de scopo Reip. Polonica.  
Dissidium omnibus nosum, quod inter D. Conringium, & personatum Mari-  
nium exarsit. Non ausim me interponere judicem. Cum privatim sentiendi  
rationem habeam.

